



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Eberhardus Episc. 1. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

1.Iulii. VITÆ S A N C T O R V M . 327  
quâ enim horâ minimè putas, mandatum afferetur: vñ  
autem illis, quos tunc imprudentes opprimet & impara-  
tos. Cordis compunctio est curandis hominum animis.  
medicina. S.Ephrem de Vitâ spirit.

S. EBERHARDUS EPISC. 1.Iulii.

EBERHARDVS gente Bojus , genere Comes,  
cùm è Collegio Bambergensium Canonicorum ad Religiosorum se juvenis transtulisset , à  
fuis inde nolens extractus & in Gallias est aman-  
datus ; ut (quod hodie etiam amat fieri) cum veste  
mores sanctos & sanctiora proposita poneret. Sed  
non præpotuere Numini amicorum inimica con-  
silia. Redux enim in idem monasterium se abdi-  
dit ; Biburgensi dein Asceterio , mox etiam Salis-  
burgensi Episcopatui jussus præesse, in miseros, si  
quisquam alias, pius fuit. Itaque Promum Con-  
dum eti senicum insequi hospitem Biburgo Ra-  
tisponam usque compulit, & quem transeunti ne-  
gaverat, vini haustum deferre : ipse , cùm Italianam  
peteret, ægræ mulierculæ equum cessit , & pedes  
Apenninum conscendit. Elephantiacorum cùm &  
corpora & animos curaret, reddente ex his uno  
cum vomitu Divinum Epulum , ore suo omnia  
excepit, nec multò pòst cognovit , sub ægro illo  
CHRISTVM latitasse virtutis suæ exploratorem.  
Dum vixit, nulli unquam quidquam MARIAE no-  
mine petenti denegavit , ideoque mortuum non-  
nemo sinu MAGNÆ MATRIS velut infantem fo-  
veri vidit, & nectare, quod ipsa illi VIRGO libavit,  
inebriari. Quid hîc agitis, Sodales Mariani ? Ma-  
trem esse vestram MARIAM vultis? pauperum pa-  
tres este. Et profectò aut filii MARIAE non estis,  
aut Fratri EBERHARDO sinum invidetis. Ex tom. 2.

Henric.

Henric.Canis. & tom. I. Bæv.S.

Vtinam sapiamus ad præsentis vita moderationem! utinam intelligamus ad præteritæ correptionem! utinam devotæ in Deum fide provideamus, ut felicem habeamus, ipso miserante, consummationem! S.Bernard.in serm.2.de SS.Pet.& Paul.

S. SIMEON SALUS CONF. I.Iulii.

**Q**uisquis vestium splendorem quæris, cum SIMEONE, si oculos habes, videbis, si animum, etiam induēs. Nempe cœnobium ingresso cùm adolescentulus nuper religiosâ veste indutus occurisset, vidit cælestem inter comitatum multo lumine insignem & Angelico habitu regiâque coronâ exornatum incedere. Quare eandē dignitatem cum JOANNE fratre tam diu ambivit, dum uterque est potitus. Sed & Philosophum videosis in uno SIMEONE geminum; Heraclitum inquam & Democritum, sed Christianum. Nemo alias tam doctè aut flendo risit, aut ridendo deflevit mundi insaniam. Nempe Emesam urbem ingressus mortuumque canem fune trahens omnes pueros post se, mox omnem civitatem traxit, fuitque Sapientiæ Magistro risus, plausus; convitia & verbera, merces, & ingens quidem nihil aliud querenti. Interea risum comitata sunt compluria miracula. dæmones mali alapâ pulsi, cantu proscripti; carbones sive in pallio sive in manu, innoxii splendorem virtutis prodidere. oculi sinapi, aceto, allioque curati, hæretici & infames mulierculæ sapere à Stulto docti, qui scilicet jam oracula etiam dabat. Et fuit cum flagello urbis columnas aliquam multas castigavit, illud addens *state: saltandum vobis est.* & ecce saltarunt illæ terrâ movente, sed